



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXVI. Argumentum. Explicatur Materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis? Et quod Unctiones de ejus essentia sint faciendæ? Referuntur vari usus antiqui ungendi alias partes corporis præter ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Attenta itaque presenti declaratione hujus Sacrae Congregationis secunda, & tertia opinio remanet tuta, ac practica bilis; non autem prima, ut differit Cardenas *dicta Dissert. 2. cap. 7. à n. 484. & seqq.* ubi eandem declarationem transcribit.

Quinta difficultas est: An Sacrum Chrisma, id est oleum, in cuius consecratione ab Episcopo adiunctum est balsamum, sit materia sufficiens Sacramenti Extremæ Unctionis; itaut deficiente oleo sacro infirmorum, possit infirmus ungi oleo sacro Chriftmatis? Circa hanc difficultatem duæ sunt opiniones. Una affirmat, ea ratione, quia balsamum adiunctum est in modica quantitate, & non destruit naturam olei; ideo sicut parvus liquor additus aquæ non impedit, eam esse materiam sufficientem baptismi, & sicut parva aqua admixta vino non reddit ipsum ineptum ad consecrationem Calicis; ita parvum balsamum additum oleo non facit, qui non sit materia apta Extremæ Unctionis. Ita Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 40. sect. 1. num. 10. Gonetius d. tom. 5. tract. 6. disp. 1. n. 23. Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 4. resol. 2. Quæ in veteri est part. 10. tract. 11. resol. 15. ubi §. 2. alios DD. cumulat. Et ex modernis Gobatus d. tract. 8. num. 785. Mastrius in 4. sent. d. disp. 6. n. 24. Emin. Cardin. de Lauræa De Sacram. Extr. Unctionis d. disput. 11. n. 30. & seqq. ubi ait, ita probabilissime defendi posse, & Billus d. tom. 2. Verb. Materia Sacramentorum §. 46. & 47. Alia opinio negat; non ex eo, quod balsamum mutet naturam olei; sed quia benedictio Chriftmatis apta non est ad constituendam materiam sufficientem pro Sacramento Extremæ Unctionis. Nam est benedictio olei infirmorum non fuerit à Christo Domino quo ad formam specialiter præscripta, credendum est quoad intentionem præscriptam esse; benedictione enim deputatur materia ad Sacramenti usum. Cum ergo non deputetur Chriftma benedictione Chriftmatis pro Sacramento Extremæ Unctionis, sed pro Sacramento Confirmationis; non videtur censendum ex illa benedictione esse oleum infirmorum benedictum. Ita sentit Bonacina De Sacram. Extr. Unct. tom. 1. disp. 7. punct. 2. num. 5. Reginald. lib. 28. num. 50. Castropalaus tom. 3. tract. 26. punct. 2. num. 11. Layman lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 3. Cotonius lib. 2. contr. 15. num. 14. subdens quod hæc olea, scilicet Chriftmatis, Catechumenorum, & Infirmorum secundum æstimationem moralem, & usum Ecclesiæ specie differunt. Novissime doctissimi Salmanticenses De Sacramentis in genere tract. 7. cap. 2. num. 9. ubi allegantur Averfa, Valentia, Cardin. Bellarminus, Vivaldus, Nugnus, & Leander ita docentes. In hac contrarietate adhzrendum cenfeo huic opinioni secundæ, & à prima in praxi abstinendum; siquidem, etsi sit probabilis ob gravium Doctorum placitum, tamen cadit sub censura prædictæ primæ propositionis damnatæ ab Innocentio XI. ut bene considerat Cardenas in Cresci d. Dissert. 2. c. 7. num. 494. Sed quid, si per errorem Parochus unxisset infirmum oleo Chriftmatis, vel oleo Catechumenorum? Nihil esse repetendum respondent Layman d. lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 4. & Cotonius d. Contr. 15. num. 15. cum pluribus resolutionibus Dianæ ibi citatis, quia, ajunt, hoc non est Sacramentum necessitatis, & repetitio non fieret sine scandalo. Ita Diana Coordinatus d. Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

tom. 6. tract. 4. resol. 1. §. 2. resol. 2. §. 3. & resol. 7. in fine.

Sexta tandem difficultas est; an possit administrari Sacramentum Extremæ Unctionis oleo benedicto veteri, id est annis præteritis consecrato? Et respondent DD. valide posse; non autem licite; quia singulis annis vetus oleum Sacrum est comburendum, & novum consecrandum feria Quinta Cænæ Domini. cap. Mitteris. De Consecrat. dist. 3. At in casu necessitatis deficiente novo, poterit adhiberi oleum benedictum vetus, ut respondit S. Congregatio Episc. 20. Maii 1590. apud Gavantum in Manuali Verb. Extrema Unctio num. 10. & docet Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 4. resol. 8. §. 1. ubi DD. cumulat; quibus adherent Salmanticenses d. tract. 7. cap. 2. n. 10. & 11.

Corollarii loco tria sunt notanda circa hujus Sacramenti materiam remotam. Unum, quod consecratio oleorum facienda est ab Episcopo in Ecclesia Cathedrali. cap. Referente. de Celebrat. Miss. Emin. Card. de Luca in Miscellan. Ecclesiast. Disc. 26. num. 4. quod etiam præcepit S. Congreg. Concilii die 21. Junii 1614. de qua Nicolius Canonic. Lucubr. tom. 2. lib. 1. tit. 15. §. 1. col. 2. ubi advertit, quod si in ea non sit sufficiens numerus Sacerdotum, possunt vocari ex aliis Ecclesiis Civitatis, vel Diocesis ad interessendum, etiam Regulares, si exerceant curam animarum. Ead. Sacra Congreg. ad Episc. Feltr. die 5. Febr. 1602. Nam consecratio prædicta facienda est omnino juxta formam Pontificalis Romani. Sacra Rituum Congreg. in Lauretana 9. Maii 1606. de qua Barbola Apostolic. Decis. Collect. 537. num. 8. Alterum notandum est, quod Episcopi non debent permittere, ut in distributione oleorum Sanctorum, ab eorum ministris recipiantur ova, candelæ, vel aliquid aliud temporale. Can. Placuit. & ibi Gloss. 1. quæst. 1. non obstante quacunque contraria consuetudine, quæ censetur gravis abusus, S. Congreg. in Geracen. 6. Septembr. 1604. apud Nicolium d. tit. 15. num. 3. Tertium est, quod Oleum infirmorum benedictum est distribuendum etiam Regularibus, atque Monialibus in Civitate, ac Diocesi Monasteria habentibus, ut illud servent in eorum Ecclesiis pro sui ipsorum usu, ut ex pluribus decretis S. Congreg. ostendit idem Nicolius ubi *supr.* num. 4. & extat Constitutio Clementis VIII. incipien. Exponi Nobis, la 57. in Bullar. Romano tom. 3. pag. 54.

DE C I S I O LXVI. A R G U M E N T U M.

Explicatur Materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis: Et quot Unctiones de ejus essentia sint faciendæ. Referuntur varii usus antiqui ungendi alias partes corporis præter quinque sensus. Ritus Ecclesiæ in Sacramentis immutari non debent. Extrema Unctio quomodo sit Sacramentum Unum, si ad quamcunque Unctionem sit repetitio formæ? Unctiones ipsæ an sint faciendæ sub Signo Crucis de necessitate Sacramenti? vel de præcepto Ecclesiæ? Eruditiones plures de virtute Signi S. Crucis contra Diabolum, Rituale Romanum habet vim legis.

P

SUM.

SUMMARIUM.

- 1 *Materia proxima Extrema Unctionis quam sit?*
- 2 *Unctiones quot sint necessariae ad validitatem hujus Sacramenti?*
- 3 *Rituale Romanum quot Unctiones praescribat?*
- 4 *Moniales, & Religiosi in Germania non unguntur oleo Sancto in pedibus.*
- 5 *Venetius olim Unctio Extrema fiebat etiam in capite, in pectore, & in scapulis. Alibi vero etiam in umbilico, & in collo.*
- 6 *Græci ungunt faciem egroti in Extrema Unctione.*
- 7 *Opiniores quinque circa numerum Unctionum in hoc Sacramento.*
- 8 *Penestra Anima sunt sensus corporis.*
- 9 *Opinio qua sequenda, & qua non circa numerum Unctionum?*
- 10 *Omittere aliquas Unctiones in Sacramento hoc quando liceat?*
- 11 *Ritus Ecclesiae Catholicae in Sacramentis non sunt mutandi, vel omittendi sub Anathematis poena.*
- 12 *Propositio damnata de materia minus probabilis in Sacramentis non procedit, ubi probabilior haberi non potest.*
- 13 *Unum, vel plura Sacramenta an sit Extrema Unctio? Et an unione indivisibilitatis? vel unione integritatis?*
- 14 *Crucis signum in ungendo infirmum oleo Sancto an sit de essentia Sacramenti? vel de Praecepto Ecclesiae? & num. 17.*
- 15 *Crucis signum in benedictionibus, ac Sacramentis ex Apostolica traditione est à Christo.*
- 16 *Diabolus contremiscit ad signum S. Crucis.*
- 18 *Omittere signum Crucis in Extrema Unctione mortale peccatum est.*
- 19 *Rituale Romanum habet vim legis, & obligat sub praeecepto.*
- 20 *Debet Verbum importat necessitatem.*
- 21 *Hortamur Verbum in re gravi dictum à Superiore est praeeptivum.*

Post materiam remotam, de qua egimus supra, sequitur explicanda materia proxima hujus Sacramenti Extremae Unctionis; circa quam omnes scribentes conveniunt, quod sit ipsa Unctio corporis infirmi eodem oleo benedicto facta per Presbyterum. Probationes hujus materiae proximae sunt plures, & evidentes. *Primo*: Quia Apostolus Jacobus dixit: *Ungentes eum oleo in nomine Domini. Jac. cap. 5.* Ergo actualis unctio, quae fit per contactum corporis infirmi cum praedicto oleo, est proxima materia perficiens Sacramentum. *Secundo*: Quia Concilium Trid. sess. 14. de Sacram. Extr. Unct. cap. 1. statim nominata materia remotam, quae est oleum benedictum, addit, quod Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, quam invisibiliter egrotantis anima inungitur, representat. Certum est autem illam esse materiam proximam, quae causat effectum Sacramentalem, videlicet gratiam. Igitur Unctio est materia proxima, quia ipsa est, quae operatur infusionem gratiae. *Tertio*: Nam omnium Sacramentorum consistendum non in re permanenti, sed in usu, materia proxima est applicatio materiae remotae: ut ablutio cum aqua in baptismo, unctio cum balsamo in Confirmatione; & contactus instrumentorum in

ordine. Sic in Extrema Unctione ipsa applicatio olei benedicti per Unctionem infirmi cum debita forma, & intentione facit Sacramentum, quia Unctio est materia proxima; ipsum autem oleum benedictum donec fiat in Vase, vel super digito Sacerdotis non est Sacramentum; prout Sacramentum non est aqua benedicta, quae servatur in fonte baptismali. *Quarto*: quia, ut ait Scotus in 4. Sent. dist. 23. *Q. Unic. sub D.* magna est congruentia, ut Unctio ipsa sit materia proxima Sacramenti, ob expressam significationem effectus ejusdem Sacramenti. Nam, sicut exterior Unctio vulneris fit ad sanandum vulnus, ita Unctio Sacramentalis interior sanat animam à culpis venialibus; ut differunt DD. quos allegant, & sequuntur Salmanticenses de Extr. Unct. tract. 7. cap. 2. num. 13. Eminent. Card. de Laurea d. disp. 11. art. 4. & Maltorius in 4. Sent. disp. 6. n. 122. tum in sua Theol. Morali disp. 22. num. 19. Porro quia nonnullae difficultates excitantur à Scholasticis circa hanc proximam Extremae Unctionis materiam, quae scitu sunt dignae; ideo eas breviter duxi referendas.

Prima difficultas est de numero Unctionum; scilicet quot Unctiones sint necessariae de essentia, & ad validitatem hujus Sacramenti? Pro intelligentia difficultatis notanda sunt duo. *Unum*, quod ex praescripto Ritualis Romani, Papae Pauli V. jussu editi, septem corporis partes, ut plurimum sunt inungenda, ut ordinat Rubrica ejusdem Ritualis, ita dicens: *Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe, oculi, aures, nares, os, & manus: attamen pedes etiam, & renes ungendi sunt: sed renum unctio in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest.* Quae ordinatio concordat cum Bulla Eugenii IV. emanata in Concilio Florentino in Decreto Union. Armenor. ubi in §. 14. ita statuitur: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timeatur, dari non debet; qui in his locis ungendus est; in oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum, vel locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum; in renibus propter delectationem ibi vigentem.* Itaut ad normam ejusdem Ritualis Romani, & Concilii Florentini Unctiones debeant esse tredecim in Viro; undecim autem in mulieribus; vel etiam totidem in Viro, si commodè moveri non possit. *Alterum* notandum est, quod praeteritis saeculis, & nunc etiam in variis regionibus varius est mos ungendi partes corporis infirmi in collatione hujus Sacramenti Extremae Unctionis. In Germania Religiosi viri numquam unguntur in renibus, neque in pedibus; & multo minus Moniales. Maltorius in 4. Sent. d. quest. 6. num. 45. & Gobatus in Theol. Experim. tract. 8. num. 792. ubi subdit, *Rituale Constantiae praecipere, ut in viris religiosi loco pedum unctio fiat in pectore.* Apud me extat Sacerdotale Venetum typis impressum an. 1567. in quo in Rubrica de Sacramento Extremae Unctionis ponitur ordo ungendi infirmum secundum usum Patriarchinum; qui incipit ab Unctione capitis ita dicens: *Ungo caput tuum oleo Sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti, preparatus ad luctamen possis aereas superare catervas.* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Amen. Deinde prosequitur unctionem oculorum, aurium, narium, & labiorum; postea pectoris & scapularum sub hac forma: *Ungo pectus tuum oleo Sancto, ut hac Unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas.* In nomine Patris, &c. Et sit hac Unctio Olei Sanctificati ad purificationem mentis, & corporis. Per Christum &c. Postea ungendo scapulas subdit: *Ungo has scapulas, sive in medio scapularum.* In nomine Patris &c. ut ex omni parte spiritali protectione munitus valeas diabolicos impetus viriliter contemnere, ac procul possis eos robore superni iuvenis repellere. Per Christum, &c. Tandem transit ad unctionem manuum, & pedum. Usus autem per vetustus Venetiarum vigeat etiam in aliis Provinciis, nam Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii Magni de Sacram. Extr. Unct. refert alios antiquos Codices, in quibus quatuorundam aliarum partium unctio praescribitur, praecipue Codicem Abbatis Rotaldi, in quo unctio quinque sensuum adiungitur unctio colli, pectoris, & scapularum; item Pontificale vetus Anglicanum, in quo ultra praedictas unctiones colli, scapularum, & pectoris, etiam umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet, unctio praefigitur: prout alium Codicem S. Remigii Remensem mandantem in administratione huius Sacramenti perungi quoque utraque tempora egrotantis oleo sanctificato; & notat Ivenim in Commentar. Historic. Dogmat. de Sacram. tom. 2. Dissert. 7. 6 quaest. 3. cap. 2. Sed nec sub silentio praetereunda est consuetudo Graecorum; qui dum conferunt hoc Sacramentum Extremae Unctionis inungunt Frontem, Mentum, & utraque genas infirmi, deinde pectus, manus, & pedes, ut testatur Arcudius libr. 5. de Extr. Unct. cap. 7. his verbis: *Gracorum vero Sacerdotes ungunt egri frontem, mentem, ambas genas, itaut fieri videatur unctio in capite ad modum Crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes.* Hoc idem scribit ex Auctoribus Graecis Simeon Thessalonicensis in libr. de Sacram. cuius verba ponit ipsemet Ivenim d. quaest. 3. cap. 2. & novissime notat doctissimus Maltius in 4. Sent. d. disp. 5. num. 50.

His ita praenotatis pro resolutione primae difficultatis requiritur, quot Unctiones sint de essentia huius Sacramenti? Quinque reperiuntur opiniones. Prima est, necessarias esse alias omnes Unctiones, quas exprimit Concilium Florentinum, & Bulla Eugenii IV. in §. 4. supra relatas; & repetitas in Rituali Romano; tum quia Concilium Florentinum ponit eas omnes tanquam materiam proximam Extremae Unctionis; tum quia nullam aliam diversam consuetudinem ungendi excipit; sed universaliter loquitur; tum etiam quia pro illis omnibus manifesta ratio concurrit; tres enim sunt potentiae, ex quibus oriuntur in nobis peccata, scilicet sensitiva, generativa, & motiva secundum locum. Igitur ungenda sunt organa omnium istarum potentiarum; quae quidem sunt quinque sensus externi sensitivae; renes generativae, & pedum motivae, pro delendis venialibus per haec organa patris. Ita sentit, & tenet ex modernis Faber in 4. Sent. dist. 23. disp. Unic. in fine; asserens hanc fuisse opinionem etiam antiquorum, nempe D. Bonaventurae, Richardi, Durandi, & aliorum; subditque in diversis Ecclesiis ceptum fuisse omittere unctionem renum, & pedum ex

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

sententia D. Thomae ob rationes, quas considerat in Supplem. 3. p. 9. 32. art. 6. Secunda opinio est, quod de essentia Sacramenti sint illae quinque Unctiones, quae in quinque sensibus, scilicet oculis, auribus, naribus, labiis, & manibus fiunt; ea ratione quia hoc Sacramentum, quod datur ad abstergendas reliquias peccatorum, est applicandum iis corporis partibus, in quibus residet radix peccatorum, nempe in praedictis quinque sensibus, à quibus omnis malitia transit in cor hominis; cum nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Hinc ait Jeremias cap. 9. Vers. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras*, id est per sensus mors peccati intrat in animam, ut ex auctoritate SS. Ambrosii, Gregorii, & Bernardi notat ibidem Tirinus, & hanc opinionem tenent omnes Thomistae, quos cumulat Maltius d. disp. 6. n. 46. asserentes, quod si ager moriatur ante completam quintam unctionem, Sacramentum remaneat invalidum, & ex eo nullum consequatur effectum. Idem novissime docet Gonetius tom. 5. tract. 6. disp. 1. de Extrem. Unct. num. 30. & seqq. addens, quod in Ecclesia Mechliniensi, in Synodo anni 1680, correctum fuit ejus Rituale, in quo docebatur, tempore pestis sufficere Unctionem unius solius sensus, dummodo unica vice diceretur, *indulgeat tibi Dominus quicquid per omnes sensus deliquisti.* Tertia opinio tenet, necessarias quidem esse praedictas quinque unctiones, non autem repetitionem verborum *Indulgeat &c.* ad singulas earum; sed in periculo mortis, posse celeriter inungi unumquemque sensum, & semel dicere, *Per istas Sanctas Unctiones, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum, Audium, Odoratum, Gustum, & Tactum deliquisti.* Ita Doctores plurimi, quos cumulat, & laudat Diana Coordinatus tom. 2. tract. 4. resol. 8. & resol. 10. quarum prima est in part. 5. tract. 3. resol. 90. altera vero in part. 3. tract. 4. resol. 167. Quarta est opinio, quod in periculo mortis sufficiat unica unctio in quacunque corporis parte fiat; itaut de essentia Sacramenti non sint ungendi sensus; dummodo tamen proferatur, forma antedicta expressiva quinque sensuum. Ratio huius opinionis est, quia ex verbis Apostoli Jacobi *Ungentes eum &c.* non denotatur necessitas nisi unius Unctionis; sicut ex verbis Domini *Baptizantes eos*, una sola ablutio innuitur. Hinc in pluribus Provinciis praevaluit usus varius ungendi infirmos in diversis corporis partibus, potissimum in Ecclesia Orientali, in qua, ut notatum est supra, unctio fit in facie. Ac etiam quia Concilium Tridentin. sess. 14. cap. 1. nullum expressit Unctionum numerum pro materia proxima huius Sacramenti; Florentinum autem Concilium, etsi assignaverit unctiones quinque sensuum, ac illas renum, & pedum, videtur locutum de eis juxta magis universalem usum Ecclesiae, non ex necessitate Sacramenti; nam duae ultimae ex communi sensu DD. & ex Rituali Romano illa renum saepe omittitur; ideo non est major ratio de aliis, quin & ipsae aliquando omitti possint. Ita sentiunt Silvius, Chapeavilla, Becanus, Poncius, Hiqueus, & alii, quos numerat Maltius d. disp. 6. num. 49. Quinta, & ultima opinio asserit, omnes, & singulas unctiones in Rituali Romano praescriptas esse de essentia huius Sacramenti, quando omnes fie-

ri possunt: At si mors superveniat sufficiant, illæ, quæ factæ sunt, licet una sola fuisset facta. Ratio est, quia cum hoc Sacramentum sit institutum pro existentibus in extremo vitæ, voluit Deus, si tempus non superfit pro omnibus unctionibus, quod illæ solæ unctiones sufficiant ad ejusdem Sacramenti validitatem, quæ jam factæ sunt; hoc enim convenit pietati Dei volenti morientium necessitati consulere. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 11. art. 4. in fine, & art. 13.

Has quinque opiniones refert, & examinat tam pro, quam contra Mastrius in 4. Sentent. cit. disp. 6. quæst. 3. art. 1. à num. 44. usque ad num. 53. & in sua Theologia Morali cit. disp. 22. à num. 35. & seqq. & post maturam discussionem rationum, quibus earundem Auctores innituntur, concludit his verbis: Ex dictis sequitur, primam, & ultimam opinionem nullam prorsus habere probabilitatem. Secundam verò esse omnium tutissimam, & in praxi saltem sub precepto servandam, quando nulla gravis urget necessitas, quod evidenter probat universalis Ecclesiæ praxis. Tertia etiam est valde probabilis, & in morbis contagiosis tuta conscientia in praxi servari potest, tum ob rationem, in qua fundatur, tum ob auctoritatem Doctorum eam sequentium. Quarta tandem opinio etiam sua probabilitate non caret eadem de causa; unde si peste grassante timeatur ex unctione omnium sensuum contrahi contagium, poterit Minister juxta hanc sententiam, tuta conscientia, unum tantum organum magis obvium, & expositum ungere sub unica forma omnes sensus exprimente, ut tempore pestis servari in Belgio, & in Austria refert Amicus disput. 19. sect. 4. Cui ego addo Dianam Coordinatum tom. 2. tract. 4. resol. 10. nec non tom. 3. tract. 1. resol. 60. & Gobatum d. tract. 8. de Extrem. Unct. num. 795. idem asserentes.

De duobus tamen hic studiosus lector admonitus esse debet: Unum est, quod supradictæ opiniones circa varietatem, & diversitatem numeri unctionum, ad praxim reduci non debent, nisi in casu urgentis necessitatis, & imminentis mortis infirmi, vel sævæ pestilentiae, itaut non posset Sacerdos, vel ex defectu temporis, vel ex evidenti periculo contagii inungere ægrotum in omnibus sensibus, ac partibus in Rituali Romano præscriptis. Siquidem ubi commodè omnes unctiones peragere potest, tenetur eas omnes perficere sub pœna peccati mortalis; ea ratione quia Ritus, quos Romana Ecclesiæ præscribit in administratione Sacramentorum, sunt omnino servandi, tanquam ab Apostolis recepti, & ab Apostolica traditione emanati. cap. Si quis omnem. 1. q. 7. Hinc contra audentes spernere eisdem Sacros Ritus Concilium Trid. sess. 7. de Sacram. can. 13. ita pronuntiavit: Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Ritus in solemnii Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, Anathema sit. Quare pie, ac rectè subdit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 11. num. 47. Ergo multiplicem unctionem non servans in hoc ministerio, facit contra Ecclesiæ solemnem Ritus, ac præceptum, & consequenter peccat. Alterum, de quo admonetur lector est; quod licet non sit amplius amplectenda opinio probabilis, probabiliori relicta, ubi agitur de materia, aut de forma Sacramentorum; cum asserere contrarium sit opinio pri-

ma damnata ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. nihilominus hæc damnatio procedit ubi Minister habet modum, & tempus eligendi, & practicandi materiam, & formam magis tutam, ac magis probabilem: at ubi ex defectu temporis, vel modi non potest adhibere nisi materiam, aut formam minus tutam, & ex doctrina Theologorum probabilem tantum, non est prohibitum conferre Sacramentum in casu necessitatis sub conditione, saltem mente retenta, si ipsa materia, aut forma sit sufficiens; ut concedit Cardenas in Crisi Theologica Dissert. 2. cap. 7. num. 497. ubi loquens de materia proxima hujus Sacramenti Extremæ unctionis, & de numero unctionum, ait: Hinc inferitur, quod prima opinio (ut scilicet sufficiat unica Unctio) quamvis in speculatione sit probabilis, in praxi tamen subjacet huic damnationi; quia est opinio minus tuta, & versatur circa valorem Sacramenti; exponitque illud periculo frustrationis. Cum hoc tamen stat, (notetur) quod si moribundus jam acturus animam non potest recipere omnes quinque unctiones, possit ei ministrari unica Unctio; itaut forma mentionem faciat omnium quinque sensuum; quia quando non est medium certum, usurpandum est medium probabile in casu necessitatis; Idem docet Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 11. art. 13. per totum, & novissime Thyrys Gonzalez in Fundament. Theol. Mor. Dissert. 10. num. 19. Et hæc de prima difficultate.

Secunda difficultas est; An hoc Sacramentum Extremæ unctionis, dum administratur uni infirmo, sit Unum numero? Et quomodo possit dici Unum numero; cum omnis Unctio habeat suam specificam formam; & quando pluries applicatur materia proxima cum sua forma plura conficiuntur Sacramenta? Respondent Scholastici, absque dubio hoc Sacramentum, dum uni ægrotanti exhibetur, esse Unum numero; ea ratione quia illæ plures unctiones, ac plures formæ ordinantur ad obtinendum unum effectum completum. Quomodo autem hoc Sacramentum dici possit Unum numero? duæ sunt opiniones. Prima dicit, esse Unum unitate indivisionis, seu indivisibilitatis; nam effectus hujus Sacramenti, nempe gratia non conferetur divisim, & per partes, sed indivisibiliter, & tota simul in ultima Unctione. Hæc opinio probatur ratione, & exemplo. Ratio est, quia hoc Sacramentum ultra effectum suum ordinarium remittendi venialia potest extraordinariè remittere etiam mortalia, si quæ infirmus haberet inculpabiliter oblita. At remissio venialium non datur, nisi simul remittantur mortalia. Igitur Sacramentum Extremæ unctionis est unum unitate indivisibilitatis, quia indivisibiliter, & unico instanti confert gratiam sanctificantem, quæ est præcipuus ejus effectus, in ultima Unctione. Dant etiam Auctores hujus opinionis exemplum istud; Si in baptismo esset de ejus essentia triplex immersio in aqua; prima, & secunda immersio non esset Sacramentum, quia istud perficeretur completè in tertia tantum immersione. Itaque idem dicendum est de Extrema Unctione, in qua indivisim completur Sacramentum in Unctione ultima. Ita respondent Aversa quæst. Unic. de Extrem. Unct. & Caspensis tract. 27. disput. 4. Sect. 1. quibus adhæret Eminen. Cardin. de Lauræa d. disput. 11. art. 16. §. 6. Altera opinio dicit hoc Sacramentum esse Unum nume-

ro, non unitate indivisibilitatis, sed unitate integritatis; quia singulae Unctiones producunt suum partialium effectum; & dant aliquem gradum gratiae remittentis tum culpam, tum poenam peccatorum Venialium commissorum per illum sensum, qui inungitur; in ultima autem unctione obtinetur integer effectus Sacramenti, id est ultima portio gratiae, quae complet ipsum Sacramentum. Hoc pariter probant ratione, & exemplo. Ratio est, quia si quaelibet unctio non produceret aliquem gradum gratiae delectivae Venialium sensus inuncti, frustratoria esset forma, quae in quaelibet Unctione profertur. Igitur ad quamlibet Unctionem, & prolationem formae delentur peccata Venialia contracta per illud organum, quod ungitur; & conceditur una portio, & unus gradus gratiae; non enim implicat, quod remittatur una pars Venialium, remanentibus aliis deinde remittendis. Exemplum est de Eucharistia, quam sumit Sacerdos sub utraque specie; nam in sumptione speciei panis datur una pars gratiae; & alia pars in sumptione speciei Vini. Neque implicat, si sint mortalia inculpabiliter oblata, haec enim si cadant sub sensu inuncto, remittuntur statim virtute Sacramenti si sub sensibus inungendis, delentur in prima unctione concomitanter ratione gratiae, quae in ipsa obtinetur. Ita tenent Almainus, Pontius, Hiquens, & alii; quos sequitur Mastrius in 4. d. disput. 6. quest. 3. art. 2. Et in sua Theologia Morali disp. 22. q. 3. art. 2. Eligat studiosus, quam ex his opinionibus mavult; sunt enim merè speculativae; & utraque probabilis. Sed utrum omnes Unctiones fieri debeant statim Una post aliam; vel aliqua mora, aut quantum tempus possit fluere inter unam, & alteram? disputare omitto; etenim de hoc quaesito egi in Decisionibus de Sacram. in genere Decis. VII. ad quam lector recurat.

Tertia difficultas est, An ad essentiam huius Sacramenti requiratur, ut à Sacerdote Unctiones fiant sub signo Crucis? Pro responsione sunt ea recolenda, quae scriptis sunt de sacrificio Missae Decis. 23. & seqq. ubi probavimus, nullas esse benedictiones Ecclesiasticas, quae absque signo Sanctae Crucis fiant; ex Quarto in tractatu de Benedictionib. tit. 1. Sect. 3. dub. 1. & seqq. & ex Castaldo in Praxi Cereimon. lib. 2. Sect. 11. cap. 1. num. 4. Siquidem ritus, & mos adhibendi signum Crucis in Sacramentis, & Sacramentalibus emanavit à Christo, & ex Apostolica traditione à primordio Ecclesiae est in eam introductus, ac semper servatus cap. Ecclesiasticarum 11. dist. ut testantur S. Basilus lib. de Spiritu Sancto cap. 27. & S. Leo Papa Sermon. 3. de Passione, & probant Salmieron tom. 9. tract. 12. atque Barradas in Evangel. tom. 4. lib. 2. cap. 2. col. 6. praeter alios, quos allegat Suarez in 3. p. D. Thomae tom. 2. disput. 51. Sect. 2. & Menochius in Hist. Ant. Apostolor. lib. 1. cap. 1. num. 6. Igitur sicut cetera Sacramenta signo Crucis perficiuntur, cap. Nunquid. De Consecr. dist. 5. Eminent. Cardin. de Lauræa in tom. de Incarnat. Verbi disput. 29. num. 164. ita Unctiones, quae sunt Sacramenti Extremae Unctionis materia proxima, cum signo Crucis, & in signum Crucis sunt faciendae, juxta S. Augustinum tract. 118. in Joan. quem refert Eminent. Cardin. Bona Rerum Liturgicar. lib. 1. cap. 25. num. 8. ubi ait: Quid est signum Christi, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aqua

ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate un-
guntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil horum rite perficitur? Tanto magis quia huius Sacramenti proprium est deprimere vires diaboli, ne suis tentationibus egrotantem in ultimo mortis conflictu debellet: ac diabolus terretur, & debilitatur Signo Sanctae Crucis. Glossa in cap. postea signatur. 63. De Consecr. dist. 4. ubi refert, de quodam Iudæo, cui diabolus non potuit nocere, quia Signo Crucis se signaverat; unde dixit: Inveni vas vacuum, sed bene signatum: quod repetit etiam Abbas Panormitanus in cap. Quod quidam, num. 2. de Penit. & Remiss. Hinc Eminentiss. Cardin. de Turrecremata in d. cap. Ecclesiasticarum. 11. dist. scribit, quod Crux est armatura fortis, ad pugnam contra demones. Et S. Jo. Chrysostomus inquit: Ubi Crux Christi est, nullus stare potest immundorum demonum, videns enssem, in quo plagam accepit. Et S. Augustinus; Signum Crucis à nobis expellit exterminatorem: quae dicta transferibit Challanæus in Catalogo Glor. Mundi Confid. 38. conclus. 98. in qua disserit de Veneratione Signi Sanctae Crucis, & de ejus potenti virtute contra malignos Spiritus. Prædictis convenit, quod ex Sozomeno lib. 5. cap. 2. narrat P. Menochius in Storeis centur. 4. cap. 26. Julianum scilicet Apostatam tremefactum ex apparitione demonum, quos Magi ejus jussu acciverant, facto sibi Signo sanctae Crucis eisdem in fugam convertisse; & quod addit P. Daniel Bartoli Soc. Jesu in Historia Sinarum lib. 4. pag. 1017. demonem cuidam Idololatrae dixisse, si puerulus Christianus Signum Crucis duobus digitis formatum mihi objiciat, tantum terroris concipio, & tantam exterior poenam quantum homines in agonia mortis. Sunt itaque Unctioes in forma Crucis faciendae, dum administratur Extrema Unctiois Sacramentum ad deterrendos diabolicos spiritus, & ab eorum astu, ac insidiis egrotantem communiendum, juxta id, quod expressit Concil. Trid. d. sess. 14. de Extr. Unct. cap. 2. his verbis: Unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; egroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, quae infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Demonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit.

Nihilominus omnes DD. tam Scholastici, quam Moraliste docent, non esse de essentia Sacramenti Signum Crucis in unctione infirmi; quia neque à Divo Jacobo hoc Signum insinuatum est; neque ab aliquo canone, vel Concilio de eodem verba facta sunt, & multo minus à Florentino, & Tridentino, quamvis ab eis exactè explicata sint, quae sunt de essentia Extremae Unctionis; & ita tenent Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 40. Sect. 2. num. 3. Sylvester Verb. Unctio. 2. Bonacina, Layman, Reginaldus, Palaus, & alii plurimi, quos citant, & sequuntur Salmanticenses d. tract. 7. de Sacram. c. 2. num. 14. & Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 4. resol. 18. existente in Inordinato part. 3. tract. 4. resol. 177. Qui è contra affirmant, Signum Crucis ungendo faciendum esse de Præcepto Ecclesiae ob inveteratam consuetudinem ab immemorabili tempore, & ubique tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia servatam; ut testantur Euchologia vetustissima Græcorum, liber Sacramentorum S. Gregorii Papae, & præcipit Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, dum ante primam Unctionem oculorum sic de Sacerdote hoc Sacramen-

tum ministrante loquitur: Deinde instincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus hic subscriptis. Verum si Sacerdos absque causa omitteret ipsum Signum Crucis, dum ungit ægrotum, peccaret mortaliter, ut advertit Nugnus in addit. ad 3. p. 9. 29. art. 6. contra quem excandescit Diana Coordinatus in cit. tom. 2. tract. 4. resol. 18. vocans eum nimis audacem in censurandis aliorum opinionibus; sed minus iuste; quia non est verum id, quod supponit ibi Diana, & alii per eum citati, scilicet quod nullum sit expressè latum præceptum de hac re; siquidem verba supradicta Ritualis Romani ordinant per expressum, ut infirmus inungatur in modum Crucis; certum est autem apud professores Sacrorum Canonum, quod Rituale Romanum est liber habens vim legis, & quod ejus Rubricæ oblegant sub præcepto. Loterius lib. 1. q. 16. n. 123. Menoch. conf. § 2. n. 145. Gratian. discept. Forens. cap. 111. n. 7. & Sperellus Decis. 179. n. 22. In Bulla enim, quam Paulus V. præmitit eidem Rituali, contestatur, in eo esse comprehensos Sacros, & sinceros Ecclesiæ Catholice Ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt. Ubi notandum est verbum i. l. d. 20. Debent, quod de jure importat necessitatem, & est præceptivum. l. Sapè. ff. de Offic. Præsid. Fagnanus in cap. Qualiter. num. 37. De Cleric. non resid. non obstante, quod in eadem Bulla Summus Pontifex dicat, Hortamur in Domino Ven. fr. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c. nec non Parochos universos &c. ut eodem Rituali in Sacris functionibus utantur; nam etiam verbum illud Hortamur prolatum à Papa in re gravi habet vim præcepti. Fagnanus ubi supr. n. 38. potissimum quia constat de ejus enixa voluntate, dum ibidem in fine subdit: Ut in re tanti momenti, qua Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis, statuit, inviolatè observent. Quapropter reflectendo ad primordia Ecclesiæ, in quibus omnia Sacramenta ex Christi instructione, & ex Apostolica traditione cum signo Crucis administrari cœperunt, ad inveteratam, & universalem observantiam in adhibendo hoc Sacro Signo, ad congruentiam, & virtutem ejusdem, & ad rubricam ejusdem Ritualis Romani, nefas est asserere, inculpabilem fore omissionem ejusdem Sacri Signi Crucis in Sacramento Extremæ Unionis; nullum etenim dari potest impedimentum, ob ejus breviteratem, & facilitatem, quo Parochus ab eo efformando, dum ægrotum inungit, præpediatur.

DECISIO LXVII.

ARGUMENTUM.

Enucleantur aliæ tres difficultates circa materiam proximam Sacramenti Extremæ Unionis: videlicet An, & Ubi sint ungendi infirmi carentes organo alicujus sensus, ut cæci, surdi, ac muti à nativitate; vel non habentes brachia, aut manus? Item an in Unionibus servandus sit ordo præscriptus à Rituali Romano? Et an faciendæ sint Uniones pollice Sacerdotis, vel etiam virgula oblonga saltem tempore Pestis? Eruditiones & Hi-

storiarum de Cæcis, & de non habentibus brachia, aut manus, sed facientibus operationes mirabiles.

SUMMARIUM.

- 1 Infirmus carens aliquo sensu, quomodo inungendus? & num. 7.
- 2 Cæcus à nativitate illuminatus à Christo quis fuerit? & ubi obierit?
- 3 Dydimus cæcus Alexandrinus scriptor Ecclesiasticus.
- 4 Cæci plurimi à nativitate doctissimi.
- 4 Homines sine brachiis, ac manibus mirabiles operationes.
- 6 Homines cum tribus, & cum quatuor brachiis, ac manibus.
- 8 Anima nostra duas operationes. Alia per organa corporis. Alia sine.
- 9 Cæci, surdi, muti, carentes manibus etiam à nativitate ungendi sunt Oleo Sancto.
- 10 Forma Sacramenti Quid deliquisti per Visum, &c. quomodo verificetur in Cæco à nativitate?
- 11 Puella cæca concupiscens Vistas coccineas, ac purpureas.
- 12 Ordo servandus in unionibus cum Oleo Sancto.
- 13 Pollice Sacerdotis an infirmus sit ungendus, vel aliqua virgula?
- 14 Parochus tempore Pestis an teneatur ministrare Extremam Unionem?

Circa eandem materiam proximam Sacramenti Extremæ Unionis, scilicet Unionis corporis ægrotantium cum Oleo Sancto, tractant Theologi nonnullas alias difficultates, quas cum ignorare Parochus dedecet, in præsentis Decisione duxi explicandas.

Una est, quid agendum à Sacerdote hoc Sacramentum ministrante, si infirmus careat aliquo sensuum, quos Rituale Romanum præcipit inungi? Hæc difficultas cadere potest circa cæcos à nativitate, circa surdos, & mutos ab infantia, circa carentes brachiis, ac manibus; sive è contra circa habentes à natura tria, vel quatuor brachia; tres, vel quatuor manus. Quod dentur homines utriusque sexus cæci è nativitate, experientia quotidiana nos docet, & habemus testimonium illius, quem Christus illuminavit, dum exivit interram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, ut scribit S. Joannes in Evang. cap. 9. 6. qui quidem cæcus vocabatur Cedonius, seu Celidonius, ut ibi notat Cornelius à Lapide Pers. 1. & de quo Petrus de Natal. in Catalog. Sanctior. lib. 5. cap. 102. testatur, quod postea Christi discipulus fuit, & post Ascensionem Domini ab Apostolis baptizatus Sancto Maximino specialiter adhaesit, & cum eodem, & Lazaro, atque sororibus ejus navicula impositus à Judæis Marsiliam appulit, & prædicti S. Maximini ordinati Episcopi Aquis prædicationis coadjutor factus, ibi post dies multos in pace quievit, & juxta Magistrum reconditus jacuit. Præter hunc cæcum natum, alium habemus insignem Dydimum, de quo Emin. Card. Bellarminus de Scriptur. Eccles. Anno 361. ait: Dydimus Alexandrinus cæcus à primæ ætate distavit opera plurima, & nobilissima. Et fides prædictus Cornelius à Lapide in Genes. cap. 27. Vers.